




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gloria immaculatè conceptæ Deiparæ Virginis Mariæ
Centvm Ecclesiae Testimoniis, totidemq[ue]
anagrammatibus ex salutatione angelica deductis ornata
& stabilita.**

Colonia, 1662

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53177)





h
69





Jh. 3169.


f. XIV. 28.














GLORIA
immaculatē conceptæ
DEIPARÆ VIRGINIS
MARIÆ

*CENTVM ECCLESIAE TESTI-
moniiis, totidemq; anagrammatibus ex
salutatione angelica deductis or-
nata & stabilita.*

Collegii Socii i. e. p. adrianae.
QUANDO

S^{MUS} Pontifex ALEXANDER VII.
novo decreto immaculatam con-
ceptionem defendit, Anno
M. DC. LXI. 8 Dec.

*Omnibus B. M. V. cultoribus in
strenamoblata
Anno M. DC. LXII.*

Colonia

*Typis PAULI Metternich, vnder
gülden Waagen.*

Cum permissu Superiorum.

EMINENTISSIMO PRINCIPI,
S. R. E. Cardinali,

IVLIO ROSPIGLI-
OSIO.

Redit ad aulam tuam, Eminentissime Princeps,
magna Matris ac Virginis immaculatè concepta
elogium, quod ab eadem felicissima inventione, rarissi-
maque sententiarum ad Deiparae Gloriam conspirati-
one profectum est per S. Emin. aulicum Ioannem Ba-
ptistam Agnensem. Centenarius videlicet Anagram-
matum, ex salutationis angelicae verbis deductus, quem
Annuntiata Societas Iesu Sodalitas in ejusdem hono-
rem Virg per suas distributum decades, veteris recentis-
que Ecclesiae luculentissimis testimoniis exornatum sta-
bilitatque Tuæ Emin. in exili hac Mariana gloria ad-
umbratione honoris observantiaque gratiâ demissè ex-
hibet. Accipe, & hunc, quem decurrimus, hujus seculi
centenarium felicissimè eexple.

Tuæ Eminentiaē

devotissima

Sodalitas Annun-
tiata S. I.



Programma

AVE MARIA, GRATIA PLENA,
DOMINUS TECUM.

DECASI. Anagrammatum.

ANAGRAMMA I.

Eva secunda, pura Mater Agni immolati.

EX prima angelica Salutationis voce, non pauci doctorum ecclesie magna Virginis Matrisque immaculatam Originem colligunt, uti & Ecclesia canit: Sumens illud Ave, mutat nomen Evæ.

II. *Ita Eva secunda malum ignorat prima.*

Gabriel Biel Theologus antiquitate & doctrinâ celebris *serm. 3. de Conc.* In prioribus, ait, festivitibus de conceptione patuit, licet breviter, quam aptè ei dicatur, *ave*, quod secundum interpretationem sonat *sine va*, & præsertim, prout illi festo convenit: *sine væ* originalis peccati.

III. *Iure negamus maculam in tota Deipara.*

Jacobus Januensis Dominicanæ familiæ eximius Ecclesiastes in *Mariali serm. 16.* Ave, id est, sine væ alicujus peccati, sive originalis, sive mortalis, sive venialis. Ideo sponsus eam alloquitur, *Cant. 4.* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

A 2

14.

IV. *Lapsum ac reatum Adamsi nivea ignorat.*

Petrus de Alliaco cardinalis in *Medit super sal. ang.* Ave, inquit, o Virgo salutifera, quæ Evæ maledictionem in benedictionem transferens, sola esse meruisti sine vâ. Meruisti quidem non tuâ Justitiâ, sed divinâ gratiâ, ut sola esses sine vâ culpæ venialis, & mortalis, & (ut pie creditur) etiam originalis.

V. *Iam munda es à culpa, Virgo intemerata.*

B. Albertus magnus, in *Biblia Mariana super Evangel. Luca.* Vâ culpæ est triplex, scilicet originalis, actualis, mortalis, & venialis, &c. sine isto multiplici vâ fuit beatiss. Virgo MARIA. Quod repetit libro de laudibus Virginis, super Missus est

VI. *Vna paries Dei natum, ergo immaculata.*

S. Fulbertus, qui ante D. Bernardum floruit, in *Exposit. salut. angel.* Ave Maria electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.

VII. *Age munda, imirè pura, tota sine macula.*

Joannes Geometra, verus & insignis ecclesiasticus, Ave, inquit, primævi libera labe patris.

S. Amphilogius antiquissimus scriptor in *orat. de Deipara*, Ave, inquit, undequaque intemerata Mater sanctitatis. Ave pellucidissime fons vivifici laticis, &c. O columba dealbata & innocens.

VIII. *Procul anguis à me. Vna Mater Dei amati.*

S. Casimirus de *salut. angelica* in hymno p. 2. Virgo salve, per quam valvæ cœli patent miseris. Quam non flexit, nec allexit. fraus serpentis veteris.

immaculatè concepta.

IX. Euge mali nescia, pura, munda, mira tota.

S. Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 52. de salut. angel. Fuit B. Virgo sine vae, id est sine tyranno concupiscentiae peccati originalis, quia sine eo concepta est, teste Salomone Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: scilicet, originalis culpae.

X. En Regina, vacas multà pomi, diva Mater.

Arnestus Archiepiscopus Pragensis scriptor eximius, de excellentiis D. V. cap. ult. In totius vet. Test. serie non invenitur unum Ave, sed separatim à à à propter triplex incommodum peccati originalis, scilicet infirmitatis in irascibili, pronitatis in concupisibili, cæcitatatis in rationabili: vae, vae, vae, propter triplicem scaturiginem peccati actualis, scilicet cordis, oris, & operis. MARIA igitur sola fuit à vae.

DECAS II. Anagrammatum.

ANAGRAMMA I.

E malo Adami sat pura, increatum genus.

Multi Patrum Doctorumque ecclesia in his verbis salutationis angelicae gratiâ plena, agnoverunt Deiparam ab omni macula originali preservatam, in quibus ante omnes occurrit magnum ecclesiae lumen.

D. Augustinus serm. 11. in Nat. Domini. Cum Angelus dixit Ave, salutationem illi cœlestem exhibuit: cum dixit, gratiâ plena, ostendit ex integro viam exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.

II. Purior angelis, Deum, unice amata, amat.

S. Epiphanius orat. de laud. Virginis, Gratia, ait, plena es, B. Virgo; solo Deo excepto cunctis superior existis. Naturam formosior es ipsis Cherubim, Seraphim & omni exercitui angelico.

III. Deipara inventa sum, ergo immaculata.

Sophronius amicus S. Hieronymi in Assumpt. D. Virg. Bene, ait, gratiam plena dicitur, quia ceteris per partes praestatur, MARIÆ vero simul se tota infudit gratiae plenitudo. Quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & justitia, quae de caelo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.

IV. Una est immaculata virgo En Deiparam.

S. Petrus Chrysologus serm. 3. de Annunt. Ave, inquit, gratiam plena, quia singulis gratia se est largita per partes, MARIÆ vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. Quae (ut habet serm. 1.) in formatione sua fuit oppignorata Deo.

V. Pura ante originem, immaculata vades.

S. Bonaventura serm. 1. de Deipara, Domina nostra, inquit, fuit plena gratiam praeviente in sua sanctificatione, gratiam scilicet praeservativam contra fecditatem originalis culpae.

VI. Digna Mater Jesu & pura à macula omni.

Hugo Victorinus de Verbo incarn. Collat. 3. Verè MARIA, ait, gratiam plena fuit, per quam gratia descendit super omnes filios hominum. Primum gratia super eam, postea gratia in ea, denique gratia ex ea, &c. In caelo qualis pater, talis filius; in terra qua-
lis

immaculatè concepta.

lis mater, talis filius. In cœlo cum patre æternus & immensus, & in terra cum matre immaculatus.

VII. Nivea Mater Jesu, culpam ignorat Adam.

Jacobus Christopolitanus *super Magnificat*. Nulla fuit gratia data alicui creaturæ, quin fuerit data Virgini Mariæ. Sed primi parentes & Angeli fuerunt creati in gratia, ergo hoc non defuit Virgini Mariæ. Idcirco ipsi dictum ab Angelo: Ave gratiâ plena.

VIII. Tanta virgo mere immunis à culpa Adæ.

Richardus de S. Laurentio *de laud. Virginis c. 4.* Bene, ait, gratiâ plena: quia quamlibet gratiam totam habens, & nihil de suo contrario, &c. Quomodo enim cum tota gratiæ plenitudo descendit in eam, vacuum aliquid reliquisset in ea? Sed enim ut quequaque impleta est gratia, ut nihil in ea culpa obtineret.

IX. Virgo est ac præmunita in Adæ malum.

B. Laurentius Justinianus *serm. de Annunt. ipsius*, inquit, gratiæ plenitudinem cœlestis nuntius persensit, cognovit, manifestavit & dixit: Ave gratiâ plena, &c. Et quis, oro, hujus Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui Conceptione in benedictionibus est præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata, quam nata.

X. O Jesu en digna Mater, pura, immaculata.

D. Thomas de Villa nova *serm. 3. de Nat.* Ceteris, ait, virginibus per partes MARIÆ tota se infudit plenitudo gratiæ: & decuit Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Unde non solum, quando puella, sed quando parvula sanctissima, & in utero sanctissima, & in conceptione sanctissima. DE-

DECAS III. Anagrammatum.

ANAGRAMMA I.

Si pariat una Deum, en ergo immaculata.

FX aliis verbis angelicæ salutationis (ut Dominus tecum; benedicta, &c.) alii Patrum Doctorumque immaculatam quoque conceptionem concludunt.

S. Eucherius *ser. 4. Dom. 4. Adventus*, Cum, inquit, gratiâ plena sit, priusquam & concipiat, post conceptionem; quanta Dei abundavit gratia, quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ prævaricationis maledictionis tenebantur.

II. Tu iure immaculata, O magna Dei parens.

S. Bernardinus Senensis *tom. 3. serm. 12. art. 3. 6.*
I. Sicut filius **MARIÆ** est sanctus sanctorum: ita constat, quod mater, quæ ipsum portavit, sit sancta sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ & angelicæ, ibi semper Virgo Dei Mater suæ sanctitatis jecit fundamenta,

III. Virgo plane munda, ac Mater IESV amati.

S. Basilii *serm. de Nat. seu Incarn.* Ex sanctitate, inquit, compacta caro digna erat, ut Deitati unigeniti uniretur.

IV. Adam & Evam in macula purè ignorasti.

S. Damascenus *in Mensis die 12. Augusti*: Equidem videbaris, o virgo, esse filia Adami collapsi, at revera

eras

oras tu ipsa Genitrix Dei eundem restituentis in integrum.

V. O magna immaculata. tu parens veri Dei.

Faustus Rhegiensis *in responsione de ratione fidei:*
Quia Dominus transivit per eam, porta clausa erat, id signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. Non enim violata est partu, quæ magis est sanctificata conceptu, quæ absque omni peccato concepta est in utero.

VI. O vera immaculata Dei gnatum pariens!

S. Bruno Carthusianus *Comment. in psalmo 101.*
Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione, peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus. Quæ quia digna fuit, Dominus de cælo in terram aspexit.

VII. Amici, ex pura genuit Adam Salvatorem.

Ivo Carnotensis *serm. de Nat. Dom.* Omnem, ait, nævum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea delavit, sicque carnem de ejus carne sumens eandem in divinam munditiam transformavit.

VIII Regina mirè tuta. è lapsu communi Adæ.

S. Antonius de Padua *Dom. 12. post Trinit.* Primus, inquit, Adam de terra virgine fuit factus, in quo significabatur, quòd secundus Adam de benedicta terra Maria Virgine erat nasciturus.

IX. Ergo sine macula avita: nam parit Deum.

B. Laurentius Justinianus *tract. de casto Connub.*
Quotquot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis duntaxat mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu, & ejus Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.

X. Aula sum tota munda, ac Regina empirei.

Julius II. in bulla Ad statum, dicit, gloriosæ Virginis anima à creatione sua tota facta fuit cœlestis, & singularis Regis æterni thalamus. *Accedit his omnibus, quod jussu Clementis VIII. Pont. Catechis us Rom. vulgatus hunc Ecclesia sensum super angel salutacionem inculcet.* Gratiâ plena est, quia quoad primum gratiæ effectum, scilicet peccati deletionem, Virgo sanctissima nunquam maculam habuit peccati originis, aut actualis, mortalis, vel venialis.

DECASIV. Anagrammatum.

I. Virgo à macula Adæ patenter immunis.

Prisca Apostolorum temporibus jam existimatio de immaculata conceptione tenuit. S. Andreas Apostolus in Epist. Presbyterorum Achaia, Sicut, inquit, primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra Virginis nunquam maledicta.

II. Virgo antea immaculata, en paris Deum.

S. Jacobus Minor in Liturgia sua appellat Virginem, Matrem Dei nostri, honorabiliorem, quam Cherubim, & gloriosiore, quam Seraphim, quæ sine corruptione Verbum Dei peperit.

III. I ergo pura, i sane munda, & immaculata.

Ibidem habet: Commemorantes omnibus modis sanctam, immaculatam, gloriosissimam, benedictam Dominam.

IV. En virgo Deipara sum, at immaculata.

S. Marcus in sua Liturgia, In primis, ait, sanctissima intemerata & benedicta Dei Genitrici, & semper Virgini Mariæ.

V. Vivam Deo integra, immaculata parens.

In Liturgia apostolica Æthiopum sic habetur: Letare immaculata verè Regina, letare gloria nostrorum parentum.

VI. Pia, munda, iusta, alma creatorem genui.

Ibidem dicitur. Intercessione plenæ gratiæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus est sancta.

VI. Para unica ego sum, Mater alma Dei nati.

S. Ignatius Martyr: Epist. ad Ioannem: Sicut nobis à fide dignus (Apostolus) narratur, in Maria Matre Jesu humanæ naturæ, natura sanctitatis angelicæ sociatur.

VIII. Vna semper immaculata Virgo Dei nata.

S. Dionysius Areopagita in Epist. ad Paulum vocat D. Virginem Dei formam, atque super omnes cœlicos spiritus sanctissimam.

IX. IO Regina, pura, munda & immaculata es.

Judæi Matrem Messia tanquam primogenitam creaturarum & Adamo priorem, adeoque ut à labe originali eximiam venerantur. Ita Galatinus habet l. 7. ex Rabbi Hac cados, quem sanctum Magistrum suum dicunt. Ostendit, inquit hic, matrem primam esse creaturarum Dei in genere humano, sicut dictum est Mich. 5. & egressus est ab æternitate, & à diebus seculi.

seculi. Dicit enim egressus numero multitudinis : quia sunt duo Messiaë egressus, unus divinitatis, quæ & æterna, ideoque dicit ab æternitate. Alter humanitatis, quæ in suæ Marris extat substantia, quæ creata est ab hora creationis mundi.

X Tu è summo data pura à nece amari ligni.

Mahometani quoque hanc sententiam traditione acceptam hodie dum timentur. Vnde in Alcorano Azura 75. hæc habent. Nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangat Satân, & ideo plorat vociferans ex ejus tactu præter Mariam & filium ejus.

DECAS V. Anagrammatum.

I. Vna Deo immaculata es, Mater puri agni.

Veteris orthodoxæ Ecclesiæ Patres & Doctores omni ex parte immaculatam Virginem profitentur; Origenes hom. 1. de diversis in Matth. Hujus unigeniti Dei dicitur hæc Mater VIRGO MARIA, digna digni: *immaculata* Sancti & immaculati.

II. Eja ergo pura, munda, immaculata nites.

S Athanasius in orat. de occurſu Domini: Virgo omni ex parte *immaculata* & penitus impolluta, *παναφθoρος, η̄ παναίματος.*

III. I Virgo sane munda, aperte immaculata.

S. Gregorius Thaumaturgus in sermone de Annunt. Missus est, inquit, servus incorporeus, ad virginem inviolatam, atque immaculatam: missus est à peccato liber, ad corruptionis, seu labis expectem.

IV. E-

IV. *Eva te dignam juro, sine macula partam.*

S. Cyprianus *orat. de Christi natiuitate.* Nec, ait, sustinebat iustitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam pluribus à ceteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.

V. *Pura à macula, esto mundi Regina.*

S. Ephrem. *orat. de Deipara,* Intemerata, inquit, incorrupta, pura, immaculataque Virgo Deipara, ab omni sorde & peccati labe alienissima, omnium Regina, sublimior fuit cœlicolis, purior solis radiis & splendorib. honoratio Cherubim, sanctio Seraphim

VI. *Tu Regina summa, pia & munda cœli arca.*

S. Chrysostomus *homil. in Hypapante Domini,* Magnum, ait, reuera Virgo hæc mundi miraculum est. Ecquid enim in rerum universitate queat hæc majus & sublimius reperiri? &c. non Cherubim, non Seraphim, non aliud deniq; quippiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles una hæc majus aut excellentius inueniri potest.

VII. *Ita Eva Regina, mundo alme pura micat.*

S. Ambrosius *serm. 22. in ps. 118.* Quare, inquit, seruum tuum Domine, suscipe me non ex Eva, sed ex Maria ab omni integra labe peccati.

VIII. *Te puram sine macula genitam adoravi.*

S. Augustinus *libro de natura & gratia c. 36.* Excepta, inquit, S. Virgine M. de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Unde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. IX.

IX. *Verum Dei agnum immaculata paries.*

S. Epiphanius de laudibus Vi g. eam appellat ovem immaculatam, quæ peperit agnum Christum, & juvenecam nunquam jugum expertam.

X. *I alma, intacta E^a, virgo semper munda.*

Sedulius lib. 2. operis paschalis ita canit:

Ac veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
 Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore;
 Sic Evæ de stirpe, faciã veniente MARIA,
 Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit.

DECAS VI. Anagrammatum.

I. *En tu immaculata, nam Virgo Deipara es.*

ET Sancti juxta doctique post antiquiora Patrum secula Doctores immaculatam Virginis Conceptionem professi sunt. Ita S. Petrus Chyrolologus in serm. de Annunt. n. 140. ait: Pervolat ad sponsam festinus interpres, ut à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat & suspendat affectum, neque auferat à Joseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cum fieret

II. *Age pure animata, mire cumulata donis.*

Sanctus & sapiens Idiota, qui circa annum 200. floruit: Non defuit tibi puritas Angelorum, &c. nullo genere vacasti virtutum, ô Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive originalis, sive actualis, sive mortalis, sive venialis non est in te, nec unquam fuit, nec erit. Sed adest omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum & cœlestium donorum.

III. *Ruat amare angus, immane caput elido.*

S,

S. Fulgentius *de duplici Christi Nativ.* In primi hominis conjugē nequitiā Diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei, & mentem integram servavit, & carnem.

IV. Irā maculæve Adæ penitus ignorat.

S. Ildesonus *lib. de Partur. Virg.* Constat, ait, illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Hevæ solata est, verum etiam benedictio omnibus condonetur.

V. Sola pure ac mire munda animata viget.

S. Joannes Damascenus *Orat. s. de Nat. D. V. O beati, inquit, Joachim lumbi! immaculatum semen! Natura gratia: foetum autē vertere minimè ausa est, verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.*

VI. Tota sine macula Adam pure germinavi.

B. Petrus Damianus *serm. de Assumpt. B. V. Caro Virginis ab Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem lucis æternæ versa est.*

V. I. Pura & digna mater, summa coeli ianua.

S. Anselmus *lib. de concept. beatiss. V. c. 18.* Decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.

V. II. Vnice magna Deipara tuta è morsu mali.

S. Bruno *in serm. de Nat. E. M.* Hæc linea incipit ab Heva & desinit in MARIAM. In principio est mors, in fine vita consistit. Mors per Hevam facta est, vita per MARIAM reddita est. Illa à Diabolo victa est, hæc Diabolum ligavit & vicit.

IX. O sane claram & puram Dei vivi natam.

S. Amphilochius in orat. de Nat. B. M. V. Quid stulte à veritate dissentis, Dei que placitum in sanctissima Virg. ad communem salutem providè dispositum detrectas atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem sine probro condidit, ipse & secundam sine nota & crimine fabricatus est.

X Alma Virgo ante casum Adæ premonita.

S. Norbertus post institutum ordinem suum in honorem D. V. officium immaculata Conceptionis introduxit, in quo hæc verba leguntur: Ave Virgo Spiritu S. p.æservante, quæ de tanto primi Parentis peccato triumphasti innoxia.

DECAS VII. Anagrammatum.

Præmonitio.

Cum olim in Ecclesia nemo ambigeret de B. Virgine ab origine & omnimodè immaculata, atque illi Patres Doctoresque Ecclesie, qui Christum humanam carnem ab originali labe immunem ex Deipara assumpsisse profiterentur, hanc ejus Matrem, ex qua Carnem sumpsit, simul viderentur eximere, ne Christus illud, quod aliquando Damoni subjectum fuisset, assumpsisse diceretur, evenit tamen post undecimum Christi nati seculum sub D. Bernardo, ut Lugdunenses in Gallia Canonici nova aliqua festa, ut SS. Trinitatis, immaculata conceptionis, &c. sine autoritate sedis apostolica inducerent in Ecclesiam celebranda, cui insolentia D. Bernardus occurrendum ratus, eos vehementer reprehensa

prehendit, atque in Epist. 174. movuit non temere hoc festum sine auctoritate sedis apostolicæ instituendum, videri enim Deiparam de Spiritu quidem concepisse, non autem conceptam esse. Non defuisse peccatum, ubi libido parentum non defuit. Quæ quidem verba D. Bernardi in diversum abstracta sunt sensum: cum alii de naturali seminis conceptione tantum, quæ ad conceptam materiam animationem prævia est, & peccati magis debito, ex natura scilicet generationis talis per se consecuturo, quam re ipsâ consecuto rectè intellexerint: alii etiam ad ejus animationem extenderint, quâ totus homo concipitur, peccatumque contrahitur. In quam sententiam Albertum magnum, D. Thomam, & S. Bonaventuram aliosque pertrahere conantur; qui tamen, vel fluctuante animo, vel etiam retractante, in hac opinione, non æquè disertè satis ab Ecclesia definita, versati sunt. Quare illorum testimonia, quæ Ecclesia mentem, ad quam etiam D. Bernardus cit. Epist. provocat, assequuntur propius, hoc loco juverit auscultasse, ut ex his se ipsos, vel exposuisse, vel correxisse intelligantur.

I. En vades pura, O Mater agni immaculati.

S. Bernardus serm. 13. de cœna Domini, editionis Paris. anno 1609. sic habet: Non est in filiis hominum magnus vel parvus, tantâ præditus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati peccatum non facientis.

II. O divam ingenti macula præservatam!

Idem in serm. super Antiphonam Salve Regina: Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita præter te.

III. Nego mature in Deipara iusta maculam.

Et *serm. de Nativ. de gaudiis, &c.* Care, inquit, Mariae de Adam assumpta maculam Adæ non admisit.

Ex quibus apparet D. Bernardum malè à Parisiensibus intellectum eò induxisse Mauritium ejus loci Episcopum, ut decreto ann. 1175. edito vetuerit, ne quis in illa Univerſitate doceret Deiparam ab originali fuisse immunem. Ita, ut Albertus magnus, D. Bonaventura, & D. Thomas fluctuantibus hanc rem sententiis viderentur pertraxisse. Verùm ab Univerſitate Parisiensis Mauriti denique decretum explosum est. Et hi sancti quoque sanctiona statuerunt.

IV. Tu magna servata a ne e duri pomi.

Alberti magni tamen ista sunt lib. de laudibus Virginis Hæc enim Virgo sola à communi illa regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.

V. Eia munda parens & immaculata virgo.

S. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. Congruebat advocatæ generis humani, ut nullum haberet peccatum, congruebat, ut Virgo ita vinceret Diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Congruum enim fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.

VI. Age id ea sanè clara omnium puritatum.

S. Thomas 1. dist. 4. art. 3. ad 3. Dicendum, ait, quòd puritas attenditur penes recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quòd nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullà contagione peccati inquinatū sit, & talis fuit puritas B. V. M. quæ à peccato originali & actuali immunis fuit: tamen sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandū.

VII.

VII. O diva purè geni am sine atra macula!

Idem *in Epist. ad Galatas lect. 6.* ait Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato: mulierem autem x omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali, excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.

VIII. I age pura à sorde, & munita in maculam.

Et *in Epist. Pauli Rom. 5.* (ut inventus Roma liber antiquus sub Urbano Pontifice per Ferdin. Guevaram Abbatem S. Iacobi de Penalva in bibliotheca Cardinalis Sforza restatur) super textum illum, in quo (Adamo) omnes peccaverunt, adjicit, unâ exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati. Quare juxta moritum angelici Doctoris opusc. 71. ut si quis inveneret suis in scriptis asserta contraria in sequatur illud, quod judicaverit magis consonum veritati, tenemur ex ipso sentire D. V. immaculatè conceptam. Prasertim cum dicat 2. 2. q. 10. art. 12. magis standum authoritati Ecclesiæ, quàm cujuscunque Ecclesiæ Doctoris.

IX. Tu anima regia, pure munda, amicta sole.

Bernardinus de busto *in officio de conceptione octava die lect. 1.* ex opusculo S. S. Thoma de expositione angelica salutationis hæc verba producit: Maria purissima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Qui locus à Canisio Salmerone aliisque cit. nunc in editione Antwerp. anni 1612. non reperitur.

X. Pure immaculata es, nam virgo Dei nata.

Quocirca præclarissimi ex Dominicana familia viri,
eique

uique perquam multi pro immaculata Deipara conce-
 ptione faciunt, & Doctoris angelici mentem, in aliis
 locis vel pro hoc sensu interpretantur, vel ex eodem me-
 corrigunt, praesertim cum sanctissimum Patriarcham
 suum Dominicum immaculata conceptioni fuisse in-
 telligunt. Vnde S. Raymundum de Pœnaforti, qui vixit
 ann. 1230. Palau & Alvarus Pizarrus scribunt in
 suggestis, ac praecipue Hispalensis Ecclesiae, ann. 1255,
 conceptionem immaculatam predicasse: idemque, de S.
 Hyacintho, & S. Petra Martyre censent. Quo tempore,
 ut scribit Raymundus Lullus in prologo de conceptione,
 Avenione vespas conceptionis Virginis MARIÆ
 fratres solenniter celebrarunt, à S. Dominico utique
 ad hoc instituti, cujus ferunt hunc esse sententiam (ut
 habet Euseb. Nier. in Except. Concil. Trid. c. 23.) sicut
 primus Adam fuit ex terra virgine & nunquam ma-
 ledicta formatus, ita deuit in secundo Adam fieri.
 Quin etiam festum Conceptionis sub ritu duplici à pri-
 mis hujus ordinis Patribus celebratum liquido constat,
 quando etiam in Martyrologio ordinis Prædicatorum
 anni 1254. qui erat 34. mortis D. Dominici ita reperi-
 tur octavo Decembris conceptio sanctæ MARIÆ
 Virginis festum duplex. Quid? quod in horis eorun-
 dem, pro hoc festo, Canonice legatur (ut habet libellus,
 cui titulus: Horæ B. M. V. adulum Prædicatorum or-
 dinis S. Dominici, editus Parisiis anno 1529.) hac ora-
 tio: Deus, qui pro salute humani generis carnem glo-
 riosæ Virginis Mariæ assumere dignatus es, & ipsam
 sine macula concipiendam ante secula in Matrem
 præelegisti, concede propitius, ut, qui de ejus con-
 ceptione, quæ fuit nostræ redemptionis, nec non
 rem-

temporum plenitudinis exordium, lætamur, ejus
piis intercessionibus, ab instantibus periculis, & à
morte perpetua præseruemur.

DECAS VIII. Anagrammatum.

I. Ego mitis, pura, immaculata, veneranda.

Et alius S. scriptura locis alij Patres Doctoresque
Ecclesie Deipara in contaminatam conceptionem
deducunt S. Bernardus serm. de Aqueductu sic loqui-
tur, ex illo Eccli 24. In plenitudine sanctorum detentio
mea. Merito in plenitudine sanctorum detentio ejus,
cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus
Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec con-
stantia Martyrum, nec sobrietas confessorum, nec
castitas Virginum, nec fecunditas conjugatorum,
nec puritas Angelorum. Hac ultima, si non defuit,
immaculata est conceptio.

II. Dei ara auguste immaculata nominer.

Alexander Aletis, ut Gotschalvus Hohenus serm.
de concept. habet ex Cant. 4. Tota, inquit, pulchra
es, scilicet per gratiæ plenitudinem, amica Dei altis-
simi, id est, Mater dilectissima, & macula non est in
te, nec originalis.

III. Arca pura Dei nati, eum tegam almo sinu.

Arnestus piissimus Archiepiscopus Pragensis libro
de excell. Virg. cap. ult. Tunc completa est conceptio,
quando animæ & corporis simul facta est susceptio,
& in ista conceptione potuit sanctificari, quod & fa-
ctum fuisse pie creditur, alioquin quidquid boni pu-
re

puræ creaturæ dari potuit, ei minimè datum esset, &c. Gratia plena illi soli singulariter congruit, quæ & ait, in me gratia omnis viæ. *Eccli.* 4.

IV. Pergam inviolata ac munda Mater Jesu.

D. Thomas Villanovanus *serm. 7. de Nat.* Quid vis dicere de Virgine, quòd humilis, quòd pura, quòd sancta, quòd gratiâ & virtutibus plena: quæ gloria, quis decor, quis candor, quæ virtus, quæ gratia non decuit Matrem Dei? Homo natus est in ea, & ipse fundavit eum altissimus. Qualem ergo faceret artifex, qui elegit eam, ut nasceretur ex ea.

V. Regina summe pura. Diva intacta è malo.

Jacobus Christopolitanus tempore Sixti IV. doctissimè celeberrimus *in Canticum Mag.* ait Cantat universalis Ecclesia de Virg. MAR. illud *Eccli.* 24. Ab initio & ante secula creata sum, &c. & illud *Prov.* 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, &c. ne per aliquod instans & tempus diabolus possideret me per aliquam culpam, sed à primò instanti creationis meæ animæ essem semper Deo grata. *Et infra.* Bernardus & omnes Doctores asserunt, quod sola Virgo contrivit caput serpentis propter illud privilegium, ante legem communem latam, sibi collatum & promissum. Quia aliter non contrivisset caput serpentis, nec fuisset gratiâ plena, nisi ab omni morfu serpentis fuisset præservata per gratiam.

VI. Vna est Deipara virgo, en immaculatam.

Gabriel Biel *serm. 2. de Concept. in verba Prov.* 31. Mulierem fortè quis inveniet, &c. Procul, ait, de ultimis finibus pretium ejus. Innocentia finis est huma-

ni generis. Nam ab innocentia principium sumpsit, in innocentia enim creatus est Adam: Ad innocentiam etiam reduceretur, cum omnes prædestinati assumantur, &c. hujus solius de ultimis finibus, id est innocentia rectè pretium attollitur, quam nulla unquam nec originalis, nec actualis, culpa maculavit.

VII. Pia virgo Mater vale, iam sancte munda.

Rupertus Abbas lib. 2. in *Isaiam ad illud Propheta: Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium, Isa. 19.* Ineffabile, inquit, quod de carnis generatione hic rectè intelligitur: Quia abscissus est de terra viventium, de terra, inquam, non morientium, sive non mortuorum morte peccati, quâ omnes in Adam mortui sunt: Vel de terra viventium, id est, de terra virginea, per sanctum vivificantem Spiritum abscissus est

V. II Ea sane tota pura, miraculum magni Dei.

Marsilius lib. 2. sent. q. 20. art. 1. Nusquam in S. Scriptura habetur, quod fuit sanctificata de peccato originali, sicut habetur de S. Jeremia. *Ier. 1.* & S. Joanne Baptista, *Luc. 1.* & quare hoc Scriptura non expressit de Virgine sicut de minoribus ea? Certè videtur ex eo, ne Matrem Domini quandoque sub peccato fuisse assereret.

IX. Pure amata & munda è macula originis.

Gabriel Biel Tubingensis Universitatis auctor in 3. sent. dist. 3. q. 1. Ad benignitatem, art. pertinet Dei Matris servare honorem, quoniam legem solvere non venit sed implere: Lex enim ait Augustinus sicut honorationem Matris præcipit, ita inhonorationem damnat; cum ergo Christus posuit matrem ab

in-

inhonoratione peccati, quæ utique maxima est, præservare, credendum est hoc omnimodè fecisse. Hoc idem argumentum Alexander V. Pontif. disertius in tract. de Conc. profequitur.

X. Dei summa imago, clara & pura inventa.

Antonius Navarrus Dominicanæ familiæ Doctor som. 1. serm. de Concept. 1. sic habet; Ipsa sola est, cui ex filiis donatum sit, ex virili semine procedere originalis labis immunem. Et justè quidem. Nam si à lege communi quosdam excipi justis ex causis legimus, Assuerus enim inquit suæ conjugis Esther; Non propter te, sed omnibus hæc lex est posita. Et licet statutum est hominibus semel & in brevi mori, Elias & Henoch adhuc vivunt. Dies enim annorum nostrorum septuaginta anni sunt, &c. Cur ergo non beatiss. Virgo à lege tam dura peccati originalis excipienda erit? Illud Apostoli dictum: Omnes in Adam peccaverunt, Rom. 5. eodem sensu, ejusdem ordinis viri Balhasar Arias in hom. de concept. & Dominicus Walthanus 2. part. expos. Evang. conc. 2. ut innumeros alios tacitam, exponunt.

DECAS IX. Anagrammatum.

I. En Virgo paries Deum, sana, immaculata.

Conciliorum quoque auctoritas tam ex scriptura S. quam SS. Patribus & communi Ecclesiæ sensu hanc veritatem concludentium accedit.

Concilium Basileense, quod anno Christi 1431 cœpit, sess. 26. dicit Doctrinam illam assentem gloriosam

Vir.

ginem MARIAM, præveniente & operante divini Numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, & actuali ruga, sanctamque & immaculatam semper fuisse, tanquam piam, consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæque rationi & sanctæ Scripturæ, ab omnibus conciliis approbandam, fore tenendam & amplectendam definimus & declaramus.

Quod Concilium licet approbatum universe non fuerit: tamen hoc illius decretum autoritate deinde non caruit. Unde & postea an. 1457. in provinciali concilio Avenionensi, ita ordinatum fuit. Decretum in Consilio Basileensi factum de conceptione beatissimæ MARIÆ Virginis. statuimus inviolabiliter observari, districtè omnibus inhibendo sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publicè disputare præsumat, &c.

II Virgo veneranda, ipsamet immaculata.

Concilium Trident. Sess. 5. de peccato originali. Declarat, ait, hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem MARIAM Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicitis recordationis Xysti Papæ IV, sub pœnis in ejus constitutionibus contentis, quas innovat.

Hic autem Pontifex Xystus vel Sixtus in Extravagante, *Grave nimis*, quæ extat in jure canonico damnat propositionem asserentium opinionem piam de immaculata conceptione hæreticam esse. *Quod*

B

erat

erat definire, non esse hæreticum asserere D. Virgine[m] immaculatè conceptam, neque contineri inter eos, de quibus Paulus Rom. 5. *Omnes in Adam peccaverunt.* Quare sensit Concilium Trident, cum Xysto hanc propositionem, quod *D. V. immaculatè concepta* fuerit, orthodoxam esse. Et hæc veritas ex præscis quoque Conciliis diducitur.

III. Tu ergo immaculata nam Deipara venis.

In Concilio Ephesino anno Christi 434. celebrato coram Nestorio S. Proclus Sycicenus sic loquitur: Hæc (Deipara) admirandæ illius œconomix tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis unica confecta est, cuius quidem textor extitit Spiritus Sanctus netrix virtus ex alto obumbrans, trama impolluta virginis carø, radius textorius immensa gestantis gratia.

IV. Age numen parvè, o Diva ter immaculata.

In Concilio Chalcedonensi S. Cyrillus in act. 1. *Epist. ad Ioann. Antiochenum,* laudat Confessionem orientalium Episcoporum, in qua erat: *Confitemur sanctam & divinam Genitricem Dei Virginem propter hoc, quod verbum Dei incarnatum est.*

V. Ego Deipara immaculata, aurum nitens.

In Concilio Constantinop. seu quinto generali *Can. 2. dicitur.* Si quis non confitetur Dei verbi duas esse nativitates, unam quidem ante secula ex Patre sine tempore incorporaliter; alteram quidem in ultimis diebus eiusdem ipsius, qui de cœlis descendit, & incarnatus de sancta, gloriosa Dei Genitrice; & semper Virgine MARIA, natus esse ex ipsa: talis anathema sit.

VI. O Diva immaculata: en Regum Patrona es.

Coneilium Constantinopol. VI. in Sophronii Hierosolym. Patriarcha epistola Synodica, hac habet: Filius Dei in uterum à viro intactum, castitate virginitatis decoratum Mariæ sanctæ & puræ, & quæ Dei erant sapientis, & ab omni labe secundum corpus & animam liberæ, ingressus carnem assumpsit, qui erat sine carne.

VII. Tu Regia animata, munda cœlum aperis.

Concilium Francofurdense sub Adriano Papa I. in Epistola Synodi ad Presul Hispania. An, inquit, Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine, meliore quidem terra, etiam animata & immaculata, Spiritu S. operante factus est homo? dicente Apostolo factus est primus homo de terra terrenus secundus de cœlo cœlestis.

VIII. En virgo Diva nata, semper immaculata.

Concilium II. Nicænum sic pronuntiat Act. 6. Si quis non confitetur sanctam semper Virginem MARIAM verè Deiparam quavis visibili & invisibili creatura superiorem, & cum sincera fide ejus intercessionem, tanquam quæ liberrimè apud eum, qui ex se genitus est, Deum habeat, non postulaverit: anathema sit.

IX. En pura, Dei amans, & immaculata virgo.

Concilium Mantuanum celebratum anno 1064. ab Alexandro II. Papa approbavit Missale Mozarabicum. in quo extabat Missa immaculatæ Conceptionis. Quæ his verbis incipit: Speciosa facta es, &c. In quo singularis fautor honoris parthenici fuit B. Petrus Damianus Cardinalis & Episcopus. Hostiensis. X. En

X. *En micat alme pura, ignita aomus aurea.*

Concilium Cæsaraugustanum celebratum an. 1372
in quo facta est constitutio synodalis de celebrando fe-
sto immaculatae conceptionis. Sancta, inquit, synodo
approbante statuimus, præcipimus, & ordinamus,
volumus & mandamus, quod de cetero festum con-
ceptionis ipsius virginis, quod est 8. die mensis de-
cemb. is, tam à clericis, quàm populis per civitatem
& totam Cæsaraugustanam diœcesim singulis annis
perpetuis temporibus celebretur &c. causam præ-
mittens, ob sanctam & immaculatam ex clara stirpe
Reginam MARIAM Virginem gloriosam.

Huius deinde solennitas diei per diversas Euro-
pæ Ecclesias latè propagata, ostendit communem
Ecclesiæ sensū esse, quòd B. V. immaculatè ac sanctè
concepta sit, quid enim aliud in ejus conceptione,
nisi huius sanctitatem venerarentur. Et sanè Sixtum
Pontificem de immaculata non solum virgine sed &
conceptione ejusdem egisse, verba demonstrant,
quam cum deinde bullam Alexander VI. Leo X.
Pius V. Paulus V & Gregorius XV. cum Tridentino
concilio ratam confirmatamque esse voluerint, pa-
ret earum sententiâ immaculatam conceptionem
defendi.

DECAS X.

I. O Regina summe viride & pura à macula.

Pontificem Rememoriam immaculatae Virginis con-
ceptioni faventem magno sericeo prædico hoc loco
posse

posset, nobis in denario placet numero subsistere, ita quidem, ut ab Alexandro oriamur, & finiamus in eodem, quod singularis hujus nominis Pontificum favor erga magna Matris Virginique honorem id mereri videatur.

Alexander II. Pontifex in Concilio Mantuano, quod Anno 1064. celebratum est, probatum ab illo fuit Missale Gothicum, sive Mozarabe: in quo continetur Missa Conceptionis B. M. V. Quanquam illius officium festumque jam Anno 902. à Joanne X. Pontifice approbatum reperitur, ut Euseb. Nier. habet de objecto Concept. c. 5.

II. I Virgo alma amata, pura, munda, nitesce.

Alexander III. patris Senensis popularis modernis Pontificis Alexandri VII. à D. Bernardo laudatus in Epist. ad Soldanum Iconii, sic loquitur. Magna Mater, & Virgo Maria Bma. hinc migravit sine corruptione, juxta verbum Angeli, imò Deiper Angelum, ut puer, non semiplena gratia esse probaretur & c. & ne caro Christi virginica, quæ de carne Matris Virginis assumpta fuerat, à tota discreparet.

III. I Virgo pure, alma, ac munda amata.

Bonifacius IX. Pontifex, ut immaculatæ Conceptionis honorem extolleret Romæ templum in campo Floræ huic mysterio celebrando venerandoque consecravit.

IV. Eia pura, munda, et magni electæ amoris.

Innocentius Papa VII. Joannem de Montefano Parisiensem, quod è cathedra adversus immaculatam Conceptionem disseruisset, Romam accersitum

castigatumque ac facti poenitentem iussit palinodiam canere, ut *Gagninus hist. Franc. in Carolo 6.*

V. Sane digna, meritoque pura, immaculata.

Alexander V. Pont. Max. immaculatam Virginis Conceptionem approbavit in 3. sent. dist. 3. & existens in Pontificatu hanc opinionem dicitur determinasse in civitate Persarum, an. 1411. atque statuisse ut ab omnibus teneri deberet. *Ita tradit Ber. de Buss. tract. de Conceptione ser. 9.*

VI. Ego Regina, summo amanti dilecta pura.

Martianus V. Pontif. sub annum 1419. Rectorem Tolosanae Academiae Romam accersitum, quod Conceptioni immaculatae contradixisset, qui cum ad propugnandam opinionem publicè se obtulisset, jam hora dicta compariturus, domi mortuus reperiens est, interioribus ventris destitutus. Quare motus Pontifex suum ad Concilium Basileense legatum pro immaculatae Conceptionis definitione astiturum misit.

VII. Magna venis Deipara, morsu mali vasces.

Eugenius IV. Pontif. eundem legatum Julianum Cesarinum in consilio Basileensi pro immaculatae Conceptionis definitione iussit agere ideoque merito ei sententiae est accensendus.

VIII. Nivea margarita caeli sum, apte munda.

Nicolaus V. breve Apostolicum de hac sententia festoque Conceptionis edidisse memoratur, cujus exemplar inter statuta ordinis Carmelitani extet.

IX. Caeli merum gaudium, nata pura amanti.

Calixtus III. Pont. legatos binos Avenionem destinavit

immaculatè concepta.

stinavit, qui ejus nomine Concilio illic celebrato sub
annum 1477. interfuere. Ubi decretum singulare in
gratiam immaculatæ Conceptionis editum est, quo
illa quæ in Concilio Basileensi de hoc mysterio con-
stituta erant, confirmantur.

X. Age patrona mundi, jure immaculata es.

*Devenimus ad statem Sixti IV. Rom. Pontif. qui
in Extravagante cum præexcelsa, immaculatæ Con-
ceptionis opinionem, festum, officiumque stabilivit,
damnatis omnibus hac impugnantibus. Quam extra-
vagantem Alexander VI. Papa ad universam exten-
dit Ecclesiam aliique plures Pontifices confirmarunt, de
quibus vide Nicemb. in Except. Cont. Trid. c. 25.*

*Nos quia plerique in bulla moderni Pontificis
Alex. VII. indicantur, hanc adver-
tum subjicimus.*

B 4

SAN-

SANCTISSIMI D. N.
D. ALEXANDRI
 DIVINA PROVIDENTIA
 PAPÆ VII.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.

ALEXANDER
 PAPA VII.

AD PERPETUAM REI
 MEMORIAM.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos & vigilantes, ut scandala, quæ inter fideles, pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate, necesse est, ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quàm selettimè, & quàm diligentissimè amoveantur.

CURS

tur: nam iis, per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præsentis afferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, & damnum summopere dolemus, & discrimine assiduè urimur. Sanè vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à fel. rec. Sixto PP. IV. prædecessore nostro in ejus commendationem apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Auctaturus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd nempe eadem beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus PP. V. eti-

antædecessor noster vetuit horum opinionem
 præfatæ sententiæ contrariam publicè doceri, aut
 prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Grego-
 rius PP. XV. similiter prædecessor noster ad priva-
 ta etiam colloquia extendit; mandans in fa-
 vorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ
 sacrificio, ac divino officio celebrandis tam publi-
 cè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis
 nomine uti quicumque debeant. Nihilominus, pro-
 ut venerabiles fratres Episcopi ferè omnes Hispani-
 arum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad
 Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinu-
 atione charissimi in Christo filii nostri Philippi ca-
 rissimum eundem Hispaniarum Regis catholici, qui specia-
 lem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem
 fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per
 quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes
 Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt ali-
 qui contrariæ illius opinionis assertores contra
 præfatas prohibitiones tum privatim, tum publicè
 præfatam sententiæ aut impugnare, aut vellicare;
 & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & fe-
 sto secundum illam præstitum ita interpretari, ut
 frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic senten-
 tiæ, & cultui juxta illam beatæ Virgini exhibito
 favere negant, pro Christi fideles è sua pacifica
 quasi possessione deturbare conando; unde
 offensiones, scandala, & jurgia; quibus obvian-
 re voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. no-
 stri prædecessores perdurant adhuc, & ex occa-
 sione eorundem adversantium majora his in-
 com-

commoda in posterum prudenter, & merito ti-
mentur. Quapropter super his tam præfati Episco-
pi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm me-
moratus Philippus Rex, ejusq; Regina Nobis pro
opportuno remedio instanter supplicari fecerunt,
Nos considerante; quod sancta Romana Eccle-
sia de intemeratæ, temperque Virginis Mariæ
Conceptione festum solemniter celebrat, &
speciale, ac proprium super hoc officium olim
ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem
institutionem; quæ à Sixto IV. prædecessore nostro
tunc emanavit, volentesque laudabili huic pietati,
& devotioni, & festo, ac cultui secundum illam
exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus
institutionem nunquam immutato, Romanorum
Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fa-
vere, nec non tueri pietatem & devotionem hanc
colendi & celebrandi beatissimam Virginem, præ-
veniente scilicet Spiritus Sancti gratia, à peccato
originali præservatam; cupientesque in Christi
grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis
offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis, con-
servare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesi-
arum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejus-
que Regnorum oblatam Nobis instantiam ac pre-
ces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Ponti-
ficibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto
IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem
sententiæ asserentis, animam beatæ Mariæ Virginis
in sui creatione & in corpore infusione Spiritus
Sancti gratia donatam, & à peccato originali
præser-

præservatam fuisse, nec non & in favorem festi, & cultus conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentis subjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activâ, & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuè inhabilitatis pœnas ipso facto incurere absque alia declaratione; à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris
Roma-

Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: nec non eisdem aliis pœnis nostro & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentem, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta. Ac libros, in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superius inflix-

infiximus. Volentes, quod contra hujus nostræ
 Constitutionis transgressores, etiam regulares cu-
 jusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu,
 & quomodolibet exemptos, & alias quascumque
 ecclesiasticas, & seculares personas cujuscumque
 status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam ecclesi-
 asticæ, quàm secularis, ut præfertur, tam Episcopi,
 & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarii,
 quàm hæreticæ pravitate ubique locorum deputati
 Inquisitores procedant & inquirent, atque in eos
 strictè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cu-
 libet contra eosdem transgressores procedendi, &
 inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi libe-
 ram facultatem, & auctoritatem eju dem auctorita-
 te, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque,
 ut præfertur, procedere, inquirere, & punire distri-
 ctè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus
 Constitutionibus, & ordinationibus, ac qui-
 busvis indultis, & litteris apostolicis, quibusvis
 personis quantumcumque qualificatis, & in
 quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali,
 Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia di-
 gnitate, & honore constitutis, etiam quod
 contra eos procedi, interdici, suspendi, vel ex-
 communicari nequeat, quomodolibet concessis.
 Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi
 pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipso-
 rumque totis tenoribus specialis, specifica,
 individua, & expressa, ac de verbo ad verbum,
 non autem per generales, etiam id importantes,
 clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita for-
 ma

ma observanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diocesis, vel districtis prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentis litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe, de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ

muni-

munitus eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præ-
sentibus literis adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ
forent. Dat. Romæ apud sanctam Mariam Major-
rem sub annulo Piscatoris die VIII. Decembris
M.DC.LXI. Pontificatus nostri anno septimo.

S. Vgolinus.

Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo,
Indictione 13. die verò 11. mensis Decembris,
Pontificatus sanctiss. in Christo Patris, & D. N.
D. Alexandri divina providentia Papæ VII. an-
no septimo, superscriptæ litteræ affixæ, & pu-
blicatæ fuerunt in Basilicarum S. Jo. Lateranen-
sis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac Can-
cellariæ Apostolicæ valvis, & in acie campi Flo-
ræ, ut moris est, per me Andream Castruccium
prælibati Sanctiss. D. N. PP. Curs.


Pro D. Mag. Curs. Petrus Paulus Desi-
derius Curs.

ROMÆ, ex Typographia Rev. Camerae
apostolicæ. MDCLXI.

INDULGENTIAE.

*SEquens Officium de immaculata Deipara Virginis
Conceptione Anno 1615. approbatum est à S. P. N.
Paulo V qui ad perpetuam rei memoriam concessit o-
mnibus Christi fidelibus illud unà cum oratione de im-
maculata Conceptione pie recitantibus centum dierum
Indulgentiam: ut patet ex brevi impresso, dato Romæ
ad S. Mariæ Majoris 6. Idus Jul. 1615. Pontificatus
ipsius anno. XI.*

OFFI-



OFFICIUM PARVUM

In Cōceptione immaculata B.
VIRGINIS MARIÆ.

*Vt habetur in Floris quibusdā anti-
quis.*

AD MATUTINUM.

Eja meā labia nunc annuntiate,
Laudes & præconia Virg. Beatæ.

Versus.

Domina in adiutorium meum intende.
Ps. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri.

Hymnus.

Salve mundi Domina,
Cælorum Regina:
Salve Virgō Virginitatē,
Stella matutinā.

Salve plena gratiæ,
Clara lux divina:
Mundi in auxilium
Domina Festina.

Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit

Terram, pontum, æthera:

Te

Te pulchram ornavit
 Sibi sponfam, in qua
 Adam non peccavit.

ψ. Elegit eam Deus, & præelegit eam. R. In tabernaculo suo habitare fecit eam. ψ. Domina exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Sancta Maria, Regina cælorum, mater Domini nostri Iesu Christi & mundi Domina, quæ nullum derelinquis & nullum despicias, respice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut, qui nunc tuam sanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti donante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & sancto Spiritu vivit & regnat in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum, Amen.

ψ. Domina exaudi orationem meam, R. Et clamor meus ad te veniat. ψ. Benedicamus Domino. R. Deo gratias. ψ. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen

AD PRIMAM.

Versus.

Domina in adiutorium meum intende.
 R. Me de manu hostium potenter defende.
 Gloria Patri, & Filio.

Hymnus.

Salve Virgo sapiens,
 Domus Deo dicata,
 Columna septemplex

Mce-

immaculate concepta.

43

Mensaue exornata.

Ab omni contagio

Mundi præservata,

Antè sancta in utero

Parentis, quàm nata.

Tu Mater viventium,

Et porta es Sanctorum,

Nova Stella Jacob.

Domina Angelorum,

Zabulo terribilis,

Acies castrorum,

Portus & refugium

Sis Christianorum.

ψ. Ipse creavit illam in Spiritu sancto. r. Et effu-
dit illam super omnia opera sua ψ. Domina exaudi.
r. Et clamor. *Oratio.* Sancta Maria cum reliquis. ut
supra fol. 42.

AD TERTIAM

Versus.

Domina in adiutorium meum intende.

r. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, & Filio. Hymnus.

Salve Arca fœderis,

Thronus Salomonis.

Arcus pulcher ætheris,

Rubus visionis:

Virga frondens geminis

Vellus Gedeonis,

Porta clausa Numinis,

Favusque Samsonis

Decebat tam nobilem

Natum præcavere

Ab

Ab originali
 Labe matris Evæ.
 Almam quam elegerat,
 Genitricem verè,
 Nulli prorsus sinens
 Culpæ subiacere.

¶ Ego in altissimis habito. *R.* Et thronus meus in
 columna nubis. *V.* Domina exaudi orationem me-
 am. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Oratio.* S, Maria
 cum reliquis ut supra. fol. 4.

AD SEXTAM.

Versus.

Domina in adiutorium meum intende,
R. Me de manu hostium potenter defende.
 Gloria Patri, & Filio.

Hymnus.

Salve Virgo puerpera,
 Templum Trinitatis,
 Angelorum gaudium,
 Cella puritatis:
 Solamen miserentium,
 Hortus voluptatis
 Palma patientiæ,
 Cedrus castitatis.
 Terra est benedicta
 Et sacerdotalis.
 Sancta, & immunis
 Culpæ originalis:
 Civitas altissimi,
 Porta Orientalis,
 In te est omnis gratia,
 Virgo singularis.

¶ Si

¶ Sicut lilium inter spinas. R. Sic amica mea inter
filias Adæ. V. Domina exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat. Oratio. Sancta Ma-
ria, cum reliquis, ut supra fol. 4.

AD NONAM.

Versus.

Domina in adiutorium meum intende. R. Me de
manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio.

Hymnus.

Salve urbs refugii,
Turrisque munita
David propugnaculis
Armisque insignita.

In Conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

O mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisaj virgo,
Verum fovens David:

Rachel curatorem
Ægypti gestavit,
Mundi Salvatorem
Maria portavit.

¶ Tota pulchra es amica mea. R. Et macula ori-
ginalis numquam fuit in te. V. Domina exaudi ora-
tionem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. Ora-
tio. Sancta Maria cum reliquis ut supra fol. 4.

AD

AD VESPERAS.

Versus.

Domina in adiutorium meum intende.
 & Me de manu hostium potenter defende.
 Gloria Patri, & Filio.

Hymnus.

Salve horologium,
 Quo retrò gradatur
 Sol in decem lineis:
 Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis
 Ad summa attollatur.
 Immensus ab Angelis
 Paulò minoratur.

Solis hujus radiis
 Maria coruscat:
 Confurgens aurora
 In conceptu micat,
 Liliu inter spinas,
 Quæ serpentis conterat
 Caput, pulchra ut Luna
 Errantes collustrat.

ψ. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indefici-
 ens. &. Et quasi nebula texi omnem terram. ψ. Do-
 mina exaudi orationem meam. &. Et clamor meus
 ad te veniat. *Oratio. Sancta Maria cum reliquis ut su-
 præ fol. 42.*

AD COMPLETORIUM.

Versus.

Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus
 Jesus Christus filius tuus. Et divertat iram suam
 à no-

à nobis *ψ*. Domina in adiutorium meum intende.
℞. Me de manu hostium potenter defende. Gloria
Patri, & Filio.

Hymnus.

Salve Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata:
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deauratâ,
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.
Patens cæli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum, Amen.

ψ. Oleum eff. sum, Maria, nomen tuum *℞*. Servi
tui dilexerunt te nimis. *ψ*. Domina exaudi oratio-
nem meam *℞*. Et clamor meus ad te veniat. *Oremus.*
Sancta Maria *cum reliquis ut supra fol. 42.*

ψ Domina exaudi orationem meam *℞*. Et cla-
mor meus ad te veniat. *ψ*. Benedicamus Domino *℞*.
Deo gratias *ψ*. Et fidelium animæ per misericordi-
am Dei requiescant in pace. *℞*. Amen.

Com-

Commendatio.

Supplices offerimus
 Tibi, Virgo pia,
 Has Horas canonicas:
 Fac nos ut in via
 Ducas cursu prospero,
 Et in agonia
 Tu nobis assiste,
 O dulcis Maria. Amen.

Deo gratias.

*Sequens Antiphona à Paulo V. Pont. Max. appro-
 bata est; qui eandem una cum Oratione de immacu-
 lata Virginis Conceptione recitantibus centum dierum
 Indulgentias concessit.*

*Antiph. Hæc est virga, in qua nec nodus origina-
 lis, nec cortex actualis culpæ fuit. V. In Conceptione
 tua, Virgo immaculata fuisti. R. Ora pro nobis
 Patrem, cujus Filium peperisti.*

Oratio.

DEus, qui per immaculatam Virginis Conceptio-
 nem dignum Filio tuo habitaculum præparasti;
 quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii sui prævi-
 sa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoq; mun-
 dos ejus intercessionem ad te pervenire concedas. Per
 eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium
 tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate
 Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula
 sæculorum, Amen.

Commentaria

Vapores orientales
Tibi Vago
Hic Hic est


Exemplum
Tibi Vago




Exemplum
Tibi Vago
Hic Hic est

Exemplum
Tibi Vago
Hic Hic est


Exemplum
Tibi Vago












3





Th
3169